Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 0.4 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



in terram audiui vocem dicentem mihi Saule saule quid me persequeris Ego autem respondi Quis es domine / dixitque ad me Ego sum iesus nazarenus quem tu persequeris · et quia mecum erant lumen quidem viderunt vocem autem non audierunt eam qui loquebatur mecum · et dixi Quid faciam domine dixitque ad me Surge vade damasci et ibi tibi dicentur de omnibus quae te oportet facere Et cum non viderem pre claritate luminis illius ad manum deductus a comitibus veni damasci Ananias autem quidam vir secundum legem testimonium habens ab omnibus habitantibus indeis veniens ad me et astans mihi dixit Saule frater respice · et ego eadem hora respexi in eum At ille dixit Deus patrum nostrorum preordinavit te ut cognoscas voluntatem eius et videas iustum et audiens vocem ex ore eius quia eris testis illius ad omnes homines eorum quae vidisti et audisti · et nunc quid moraris / exurge et baptizare · et ablue peccata tua invocato nomen ipsius · Factum autem reversus mihi in hierusalem et oranti in templo fieri me in stupore mentis et videam illum dicentem mihi festina et exi velocius ex hierusalem quia non recipient testimonium meum de me et ego dixi domine ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcere et cedens per synagogas eos qui credebant in te Et cum effunderetur sanguis stephani testis tui · astabam · et consentiebam et custodiebam vestimenta interficientium illum · et dixit ad me vade quia ego ad nationes longe mittam te audiebant autem usque ad hunc verbum Et levaverunt vocem suam dicentes Tolle de terra huiusmodi non enim fas est eum vivere Vociferantibus autem eis et proicientibus vestimenta sua et pulvere iactantibus in aerem iussit tribunus duci eum in castra et flagellis cedi et torqueri eum ut sciret propter quam causam acclamarent ei / et cum astringissent eum loris / dixit centurioni stanti sibi circumstanti Paulus Si hominem romanum et indemnatum licet flagellare · Quo audito · centurio accessit ad tribunum et nuntiavit ei dicens · Quid acturus es · Hic enim homo civis romanus est · Accedens autem tribunus dixit illi Dic mihi si tu romanus es · At ille dixit · etiam · Et respondit tribunus Ego multa summa civitate hanc consecutus sum · Et Paulus ait Ego autem natus sum Protinus ergo discesserunt ab illo qui eum torqueri erant Tribunus quoque timuit postquam resciuit quia civis romanus esset et quia alligasset eum Posera autem die volens scire diligenter quare ex